542. Nigella; flore minore, ſimplici candido. C. B. 145.

543. Nigella anguſtifolia; flore majore, ſimplici, cœruleo. C. B. 145.

544. Pulmonaria; calice veſicario.

545. Sherardia nodiflora; Stæchados ſerratæ foliis. D. Vaillant.

546 Sherardia repens, nodiflora, ſubrotundo folio. D. Houſton.

247. Sherardia ſpicata, annua; flore cœruleo; foliis anguſtis & ſerratis. D. Houſton.

548. Sinapiſtrum Americanum ſpinoſum; flore carneo; foliis trifidis & quinquifidis. D. Houſton.

549. Spergula, quæ Alſine ſexatilis & Multiflora; capillaceo folio. T. Inſt. 243.

550. Volubilis Americana; Bryoniæ folio; hirſutia Lappacea obſita. à D. Houſton. *Gronovia ſcandens*; *Lappacea, pampinea fronde* Houſton. Martyn. Hyſt. Plant. rar. Dec. IV. N° 8.

II. DE CAMPHORA THYMI. *Auctore Caſparo Neumanno, M. D. Chemiæ Profeſſ. Berolin. & R. S. S.*

SECTIO I.

ANTE aliquot annos Illuſtri Regiæ Magnæ Britanniæ Scientiarum Societati Obſervationem quandam, * quæ ſingularis mihi viſa fuit atque in deſtillatione & ſeparatione Olei eſſentialis Thymi ex improviſo accidit, dum nempe in hoc, abſque omni additione deſtillato, Oleo corpus ſolidum, ſiccum, cryſtallinum, album & pellucidum apparuit, communicavi: ubi inter cætera adduxi, quod ſubſtantiam hanc,

* Vide Tranſact. N°. 389.

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

hanc, prout externô aſpectû & mixtione ipſius conſpiceretur, pro nulla re alia, quam pro Specie quadam Camphoræ dijudicare poſſim; quoniam, meô certè judiciô, ad nulla alia in terris alioquin exiſtentia mixta (in quantum Chymici hucuſque tam naturales quam artificiales materias notarunt, diſtinxerunt & ſecundum primarias ſuas qualitates denominarunt) è contrario omnium commodiſſimè & rationi maximè convenienter ad illud mixtum, ab antiquis jam temporibus Camphora appellatum, ſubordinari queat; hanc Obſervationem porro cum neceſſariis, quas judicabam, circumſtantiis animadverſionibuſque extendi: de reliquo verò ampliori indagationi atque judicio uniuſcujuſque commiſi, ut tam me ipſum, quam alios circa hanc materiam curioſos ulterius informarent. Placuit quoque Secretario celeberrimæ antedictæ Societatis eum mihi honorem deferre, & hanc Obſervationem Anno 1725. ipſorum pro menſe Julio & Auguſto ſub N° 389. publicè editis Tranſactionibus Philoſophicis inſerrere, pro quo honore publicas jam habeo atque perſolvo gratias. Cum vero ex alia in ſubſequenti mox numero, 390. pro Menſe Septembri & Octobri ejuſdem anni proſtante, Obſervatione de Camphora, à D. Joh. Brown, exercitato Chymico (quem jam Collegam meum honoratiſſimum in prædicta Regia Societate appellare mihi gratulor) traditâ perſpexi, illum à meo judicio de dicto producto Thymi ac nomine ipſi aſſignato planè diſſentire & penè in omnibus partibus aliam, primarióque illuc tendentem, fovere opinionem, quod hoc ex oleo deſtillato Thymi emergens corpus ſiccum, à me pro Specie quadam Camphoræ venditatum, proindéque nomine Camphoræ Thymi inſignitum, nulla ſit Camphora, miniméque ejuſmodi nomen mereatur, propterea pace veſtra (quoniam,

juxta

juxta tritum illud ſermone proverbium, quilibet verborum ſuorum optimus eſt interpres) mentem meam circa hæc, quæ ibi à me ſcripta ſunt, ſequentibus ulteriùs explicare mihi liceat, cum poſtea perinde mihi fuerit, an productum queſtionis à tertio nulli parti addicto, ſive mecum pro Camphora, ſive etiam cum Domino Brown pro Oleo habeatur.

Sect. II.

Ut rem brevibus complectar, modò dictus D. Brown

1. Productum hoc Thymi non eſſe Camphoram, inquit, ſed Oleum Thymi coagulatum ſeu condenſatum.

2. Circa hanc contradictionem nititur fundamento Experimentorum quorundam, in quibus vulgaris, Indica & officinalis Camphora aliter ſe habeat, quam ea à me nominata Camphora Thymi, adeóque hoc productum non eſſe Camphoram.

Jam equidem juſtam D. Brown intentionem, & in Chymia laudabilem profectò conſuetudinem; qua nempè non omnibus, quæ ab aliis dicta aut literis mandata ſunt, ſtatim applaudendum eſt, non ſolum debitis effero laudibus, ſed etiam affirmo, me contra iſta ab eo adducta Experimenta, diſtinctionem indigitantia, nihil habere quod regeram; interea hæc à cauſa principali me nondum deducunt neque in eam ſententiam convertunt, ac ſi iſtæ à D. Brown obſervatæ differentiæ inter Camphoram communem & Camphoram Thymi jam ſatis ſufficientes eſſent, ut me convincerent, quod Productum hoc Thymi propterea non ſit Camphora.

Sect.

Sect. III.

Dixi nempe in antedicta mea Obſervatione primò in genere, acquiſiviſſe me ex noſtrati Thymo vulgari veram, denſam, cryſtalliformem & in omnibus qualitatibus conſpirantem, nec niſi odore differentem Camphoram, &c. In ſpecie verò porrò adduxi.

I. Quô modô Camphoram hanc acquiſiverim.

II. Quâ de causâ Subſtantiam illam pro Camphora habeam.

III. Ex quibus partibus Camphora conſiſtat.

IV. Et denique, quod hanc Camphoram Thymi in omnibus qualitatibus præcipuis, odore exceptô, cum Camphora vulgari convenientem exiſtimem.

Sect. IV.

Ad hæc D. Brown, Præparatum vel Productum hocce exiſtere quidem fatetur, dicens, tale quippiam jam antea ibi viſum fuiſſe, id quod non equidem impugno, quamvis toto iſto quinquennio, in Anglia olim degens, nunquam illud audiverim, multò minus oculis meis creverim; ſic etiam concedit externam formam, nomen tantummodò huic producto deditum, vel quod Camphora ſit, in dubium vocat & impugnat. Atque ſic porrô in aliis quibuſdam rebus à me diſſentit.

Sect. V.

Quod vero hoc Præparatum Thymi nulli alij rei quam Camphoræ accenſere potuerim, ſequentes me impulerunt rationes:

I. Ex

I. Ex Oleo eſſentiali ortum eſt.

II. Planè album, tranſparens; pellucidum, cryſtallinum, ſiccum & durum, friabile tamen, denique & fortiter olens corpus, exiſtit.

III. Nullô modô ſolutionem in aqua admittit.

IV. Contrà facile in Spiritu Vini rectificatiſſimo & Spiritu Nitri ſolvitur.

V. Demonſtrabiles partes conſtitutivæ hujus Producti Thymi eædem ſunt, quæ in communi Camphora, quamvis

(a) Ratione odoris ſpecifici,

(b) Ratione proportionis partium conſtituentium, &

(c) Ratione quoque loci natalis vel Climatis, notabilis occurrat differentia, & exindè etiam variæ ſubtiles diſcrepantiæ circa commixtiones ac relationes cum aliis rebus oriri poſſint.

VI. Denique etiam Mixtum ita conſtitutum nullo meliore vel convenientiore, ex omnibus hucuſque notis naturalibus & artificialibus ſpeciebus, circa quas Chymia verſatur, quam Camphoræ nomine inſignire potui, ſiquidem hæc ſubſtantia nec Sal volatile nec Sal fixum, nec Terra, nec Lapis, nec Succus condenſatus, nec Bitumen, nec Gummi, nec Reſina, nec Sulphur, nec Flores, non Præcipitatum nec Sublimatum, non Pix nec Cera, non Phoſphorus nec Vitrum, non Glacies nec Glarea eſt, aut appellari poteſt. Multò minus huic duro, ſicco & cryſtallino corpori nomen rei molliter unctuoſæ, omnium minimè rei tenuiſſimè pinguedinoſæ vel oleoſæ aut humido-liquidæ imponere poteram, dum neque Balſamum neque Linimentum, neque Coagulum neque Butyrum, neque Oleum neque Pinguedo, neque

Spiritus

Spiritus neque Aqua, Lacryma, Vinum, Liquor, Acetum vel aliud tale quippiam exiſtit. Et ſic in hunc uſque diem nihil melius & convenientius quam Camphoram excogitare vel ullô modô invenire poſſum, quo cum majori & rectiore jure comparari vel quo alio præſtantiore nomine exprimi queat.

Sect. VI.

Horum reſpectu & propter deſcriptas jam Proprietates, haſce ex Oleo deſtillato acquiſitas, elegantes, albas, ſiccas, pellucidas, ſolidas, friabiles tamen inſimulque fragrantes & in aqua non ſolubiles, contra in Spiritu Vini rectificatiſſimo & Spiritu Nitri ſolubiles Cryſtallos, Camphoram, & pro diſcrimine communis aliarumque ſpecierum Camphoræ, Camphoram Thymi appellare commotus ſum, ſimulque affirmavi, eam in omnibus his adductis proprietatibus cum Camphora Indica officinali convenire, quamvis omnium & ſingularum particularium affectationum, affinitatum, effectuum, diſtinctionum ſubdiviſionumque minorum nullam tum temporis habuerim rationem, præcipuè cum non adeò magnam ejus portionem acquiſiveram, qua inveſtigationes ad ejuſmodi experimenta requiſitas inſtituere potuiſſem, ut taceam, quod in genere, uti poſteà majori experientia edoctus ſum, Vegetabilia Europæa parum tantum hujuſmodi Camphoriformis ſubſtantiæ ſuppeditent, ea autem puto, quæ à natura diſpoſita ſunt, ut ejuſmodi quippiam largiantur. Quis verò, iſtas tum à me adductas & jam brevibus repetitas proprietates præcellentes Pro-

ducti noſtri Thymi cum communi Camphora non convenire, probare poterit? Vel quo magis convenienti & compatibili quam Camphoræ nomine mixtum hoc, ut unò verbô mixtionem ejus optimô propriôque charactere indicarem & ſimul illud ab omnibus aliis in mundo cognitis mixtis perſpicuè diſtinguerem, inſignire aut denotare potuiſſem.

Sect. VII.

Nam ut tales albas, pellucidas, diviſas, ſatis magnas, ſiccas, ſolidas, & ſi concutiantur, ſonantes Cryſtallos Oleum appellem vel pro Oleo venditem, ſicut ſæpè dicto D. Brown eas nuncupare libuit, hoc neque honoratiſſimus hic Collega meus, neque alius quiſquam tam facile perſuadere mihi poterit. Et quamvis exiſtimet, ſe Præparatum hoc cognomine coagulati ſeu Condenſati præmunire poſſe, aſſerens: Oleum condenſatum & coagulatum eſſe, nihil tamen ea omnia ad ſummam rei faciunt, dum ſcilicet ſic nominata Olea in alio planè ſtatu apparent & in Chymia prorſus alia eſſe reperiuntur, de quibus mentem meam ulterius jam explicaturus ſum.

Sect. VIII.

D. Brown primò, has Cryſtallos Thymi, quas Camphoram appellavi & adhuc appello, Oleum eſſe aſſerit; quod autem hac in re huic aliàs egregio Viro aſſentiri non poſſim, ſequentes notabiles ſane & apertè differentes interdicunt circumſtantiæ:

Cryſtalli

Cryſtalli hæ attactu ſunt ſiccæ adeoque non molles, vel unctuoſæ aut pingues, ſed planè cryſtallinæ & diviſæ, quæ ſolæ proprietates pro repudiatione nominis Olei ſufficientes eſſent, ſiquidem Naturæ Olei è diametro oppoſitæ ſunt & nomen Olei ſicco & cryſtallino tali mixto nunquam, imo de jure, nulli alij rei, quam planè liquidæ, pingui vel ad ſummum butyraceo unctuoſæ convenit.

Sect. IX.

Secundò probationem hujus Characteris fulcire nititur expreſſione adjectiva vel verbo Coagulatum, dicens: Eſt Oleum coagulatum. Cui verò porro amice regerere mihi liceat, quod & hîc epitheton illud non ſatis ſit ſufficiens:

1. Quia in univerſa Chymia nomen, Coagulatum, nunquam ejuſmodi rei attribui poteſt nec debet, quæ planè ſicca & ſimul cryſtallina adeóque nec pinguis-unctuoſa nec humido-aquea eſt; è contrario.

2. Tantum & unicè iſtiuſmodi rebus ac circumſtantiis attribuendum vel addendum eſt, in quibus ſivè ſubitò ſive pedetentim, ſivè ex pluribus aut paucioribus humiditatibus vel tenuiter liquida pinguedine, ſive etiam per ſe ſive per additionem alterius rei, aliquid quaſi præcipitando ſeſe colligit, atque conſiſtentiam, inſtar lactis coagulati vel Oſſæ albæ Helmontij, vel Roob, vel Butyri & Unguenti vel reſinoſo-viſcoſi aſſumit, Productum poſtea ſit ſive ſalinum, terreſtre, pingue, reſinoſum vel prout velit. Quamdiu nomen Coagulum vel Coagulatum ipſi attribuitur, tam diu non poteſt eſſe ſiccum,

ſed attactu humido-pingue vel reſinoſo-viſcoſum aut unctuoſum exiſtere oportet. Et poſito! quod hoc verbum Coagulum vel Coagulatum etiam ad res planè ſicca conſiſtentia prædictas detorqueatur vel vi detorqueri debeat, licet hactenus in Chymia illud non introductum ſit, hoc ſaltem concedere neceſſum erit, id nunquam ad corpus pellucidum, cryſtallinum, in ſeparatis, perſpicuis, ſiccis, ordinê compoſitis & uti Sal cryſtallinum apparentibus, ad crepitationem uſque duris fruſtis conſiſtens extendendum, adeóque tale quid minime Coagulum vel Oleum coagulatum appellandum eſſe, quippe quod hactenus nondum auditum aut receptum fuit.

3. Omnia Olea coagulata, *e. gr.* Oleum Aniſi, Rutæ, Olivarum, &c. ſi loco frigido vel tempore brumali etiam ad ſummum coagulentur, nequaquam tamen in ſiccas, planè duras, uti Tartarus vitriolatus, & adhuc majores quaſi Saccharum candidum album repræſentantes, adeóque in concutiendo crepitantes vel ſonantes Cryſtallos, ſed ad ſummum externo aſpectu ut tenuiſſima folia, attactu tamen digitos pinguefacientes & rigidæ quaſi apparentes particulas, adhæc vero maxima ex parte in perpetuò butyraceam vel adipoſam conſiſtentiam, adeóque nunquam in talem Camphoræ ſimilem duritiem degenerare ſolent.

4. Olea quoque coagulata, vel leviori accedente calore, mox liqueſcere & tenuiora fieri, ſtatumque coagulationis ſuæ amittere ſolent, quod vero in noſtris Cryſtallis reperire non licet, quia hæ tam æſtate quam hyeme, quinimo conſultò applicato leni calore in æquali ſemper ſolida forma permanent.

SECT.

Sect. X.

Tertiò D. Brown adhuc utitur Verbo Condenſatum, Cryſtallos nempè vocat Oleum coagulatum ſeu condenſatum. Si dixiſſet, Cryſtallos eſſe Corpus ex Oleo condenſatum, tunc eandem mecum haberet ſententiam quam ipſe in Obſervatione mea, pag. 327. ſub N° 3. adduxi; dum vero ſimpliciter eas pro Oleo habet, ei minime aſſentiri poſſum, ſiquidem hoc magnam præbeat differentiam, quando dico: ex Oleo natum, condenſatum vel ſeparatum; & è contrario quando de Oleo condenſato ſeu coagulato verba facio: Per hanc enim poſteriorem loquendi formulam totum intelligitur Oleum; per priorem vero tantum aliquod ſeparatum, de novo productum & ex Oleo jam demum exortum planeque aliter, quam reliquum Oleum viſui ſe objiciens. Id Oleum, quod ſe coagulari vel condenſari patitur, illud non tantum centeſimâ, quinquageſimâ vel vigeſimâ ex parte fieri ſolet, ſed ejuſmodi Oleum penitus penituſque, ſi non in toto ſaltem plurimo & maximo pondere ſe coagulare & condenſare debet. Qua vero ratione fit, ut hic in Oleo Thymi parvum tantum pondus elegantium harum Cryſtallorum oriatur vel ſeparetur, omneque reliquum Oleum ne minimam quidem mutationem aut veſtigium coagulationis vel condenſationis monſtret, ſed in perfectè liquida & debite tenuiterque oleoſa conſiſtentia, ſicut Oleum Thymi purum eſt atque eſſe ſolet, æqualiter permaneat? Aliud eſt ea materia ex qua aliquid fit, & aliud quoque eſt illud, quod ex ea paratur: in præſenti noſtra materia utique in principio adeſt Oleum & quidem Oleum deſtillatum eſſentiale; poſtquam autem

autem ex hoc ipſo nova planè ſubſtantia denuò oritur, generatur vel ex Oleo ſeparatur & producitur, quæ tactu, viſu vel forma externa cum ipſo Oleo minimè convenit, hoc jam clarum pellucidum, album, ſolidum & cryſtallinum corpus nunquam pro priori fuſco-rubro tenui & liquido oleo exiſtimare poſſum, tanto minus, cum etiam non omne Oleum coaguletur vel condenſetur, hinc ſubſtantiam illam pro Oleo coagulato ſeu condenſato accipere queo, licet corpus hoc ex Oleo ſeparatum & condenſatum ſeu potius cryſtalliſatum ſit. Quod ſi hæc methodus invaleſceret, ut ſeparata & præparata ex hoc vel illo ſubjecto ſemper cum eodem nomine illius ſubjecti ex quo ſeparata ſunt, inſignirentur, & cognomen tantum aliquod adjiceretur, tum exindè miræ concluſiones & ſtupendæ confuſiones in Chymia orirentur, ſic & in enarrationibus & deſcriptionibus rerum artificialium ferè nil niſi æquivocus, obſcurus & incertus ſenſus produceretur. Si hoc valerèt, ut Camphora ex hac tantum cauſa poſſit appellari Oleum, quia ex Oleo orta eſt, & ratione conſiſtentiæ figuræque tantummodò cognomen coagulatum vel condenſatum adjicere, adeoque ſic ab omnibus objectionibus ſimul & ſemel me liberare poſſem, tunc quoque hoc rectum ac juſtum eſſe deberet, ſi communem frumenti ſpiritum appellarem Frumentum vel ſemen liquidum. Hordeum rarefactum, Triticum ſpirituoſum & ſic porrò, quia ſcilicet ex ſeminibus iſtis paratus fuit. Hoc modò Flores Antimonij etiam Antimonium volatile; Spiritus Sulphuris, Sulphur aquoſum; Phoſphorus, Urina coagulata; Sal lixivioſum cryſtallinum, Cineres condenſati, & ſic plura alia ſecundum nomen materiæ ex qua præparata ſunt, nuncupari

deberent, quia circa hæc omnia eôdem jure probari poteſt, quod ex iis orta vel præparata ſint, quô affirmare queo, Camphoram Thymi obortam eſſe ex Oleo Thymi, & ſic complures materiæ aliter prolixiuſque denominari atque circumſcribi poſſent; niſi

a. Ad externas quoque differentias, conſiſtentiam, aſpectum, ſiccitatem, humiditatem, pinguedinem, liquiditatem, pelluciditatem, opacitatem, ſoliditatem, duritiem, mollitiem, pluresque alias circumſtantias animus adverteretur, & ſimul

b. Tritum in ſcholis proverbium: quod fieri poteſt per pauca, &c. puto, quomodo quis mentem ſuam omnium breviſſimè & maximè notanter exprimere poſſit, in conſiderationem veniret.

Quod ſi igitur Materiam quandam unicô vocabulô characteriſticô denotare poſſum, quare hoc evitare & potius duo vel plura adhibere, adeoque, loco verbi Camphora, Oleum coagulatum ſeu condenſatum dicere deberem? Sufficit! & quilibet intelligit, cum verbum Camphora adhibeo, quod ſit corpus Cryſtallinum atque condenſatum, immo ex Oleo condenſatum & maximam partem ex oleoſis partibus conſiſtens. Adhæc diverſi in Chymia dantur modi, ubi ex ſubſtantia liquida corpus ſiccum acquiritur, ideoque & hîc benè diſtinguendum, nec ubique omnia, verbis coagulatum & condenſatum, deſcribenda ſunt, ſiquidem inter coagulatum ac cryſtalliſatum, inter congelatum, condenſatum, inſpiſſatum, præcipitatum atque ſublimatum, & quæ ulteriores ejuſmodi ſunt methodi, non exigua exiſtit differentia.

Sect. XI.

Hæc ergo mea fortè eſt explicatio, quare iſtas ex Oleo Thymi acquiſitas Cryſtallos appellaverim Camphoram, eaſque non olei nomine aut alio quodam cognomine inſignire judicaverim. De reliquo mihi perindè erit, ſi D. Brown aliiſque illas Oleum vel Sal volatile vel quoquomodo velint, nominare libuerit.

Sect. XII.

Præterea ego nec primus nec ſolus in terrarum orbe ſum, qui ejuſmodi ex Europæis Oleis eſſentialibus comparatum mixtum Camphoræ nomine inſigniverim, ſed & alij quidam ineruditis certè non adnumerati viri idem mecum fecerunt. Ut prolixitatem effugiam, ad duos tantummodo iſtos, quos ipſe D. Brown allegavit, provocabo:

1. Eruditus & celeb Leydenſium Profeſſor D. D. Boerhaave in Libro à D. Brown adducto, qui dicitur Chymiæ inſtitutiones & Experimenta, pag. 82. (cujus loci ipſe D. Brown, pag. 365. meminit): "Nam "(Camphora) inquit, non ſolum eſt progenies ſo-"lius arboris Camphoræ, N. B. Sed omnes plantæ "aromaticæ Camphoram ſui generis producere "poſſunt," prout & D. Boerhaave de hiſce in Collegiis & Lectionibus ſuis quam ſæpiſſimè mentem ulterius explicavit, ex quibus nempe Europæorum Oleis Camphora acquiri poſſit.

2. Egregius ille in eruditione, experientia que celeb. Pariſienſ. Chymicus D. Geoffroy junior, quem

D. Brown

D. Brown locô citatô itidem adducit, in dicta Obſervatione Academ. Scientiarum Anno 1721. edita, ait; "L'Huile Terebinthine, quoique rectifiée à l'eau " dépoſe aux parois de la bouteille des criſtaux " ſemblables à des aiguilles de Camphre ſublimé. " J'ai obſerve la même choſe dans les Eſſences de " Matricaire, de Marjolaine, &c. Et porro: " L' " Huile de Sauge, par exemple, & celle de Ro- " marin, prennent en vieilliſſant à peu près la même " odeur. Il y en a même quelquefois, qui appro- " chent de l'odeur du Camphre. J'ai eu de l'eau de " ſauge, qui gardée pendant plus d'un an, avoit " acquis une odeur de Camphre très-forte, enſorte " qu'on l'auroit priſe pour de l'eau, dans laquelle on " auroit éteint du Camphre même, &c." Quanquam D. Brown etiam tantorum Virorum experimenta atque enarrationes acceptare recuſet & de eis dubitare videatur, tanto minus diverſis adhuc aliis manus daturus erit, è quibus apparuit, quod non ſolum ex variis Vegetabilium Indiæ Orientalis partibus, extra propriè ſic dictam Arborem Camphoriferam, *e. gr.* è Radice Arboris Cinnamomi, Zedoariâ & Mentha Zeylanica, iſtiuſque loci creſcente Schœnantho, Abrotano, Millefolio, Cardamomo, Junipero, &c. ſed ex Europæorum etiam Salvia, Roremarino, Hyſſopo, Majorana, &c. &c. (præter Thymum) acquiſita fuerit Camphora. Licet enim D. Brown, pag. 361. his utatur verbis: " At in nullis aliis Oleis (præterquam Oleo Thymi) " aliquid hujus generis me vidiſſe memini, niſi in " Oleo Macis, de quo pag. ſeq. mentionem facit: " in ſuperiore parte hujus Olei, aliquid cryſtallinæ " formæ hodie fluctuare videtur; attamen cujus

" generis ſit ſubſtantia, ſive Camphora, ſive non, " tempus docebit; " Nihilo tamen ſcius alij tale quid ſæpius viderunt & obſervarunt, adeóque hoc argumenti loco inſervire minimè valet, quod D. Brown nondum vidit, id nemo unquam hominum in mundo vidit, aut ejuſmodi quid nunquam accidit nec accidere potuit, multo minus, quod omnia planè falſa ſint, quæ D. Brown non vidit nec approbat: Sed hæc tam parum convincent animum, ac ſi ego dicere auderem, hoc vel illud, quod D. Brown in Chymicis ſuis tentaminibus vel laboribus conſuetis interdum fortè obvenerit, nunquam reverâ ita accidiſſe, idque hac tantum præoccupatione fultus, quia iſta ego non viderim. In P. S. equidem, D. Manel ei Camphoram Majoranæ monſtraſſe, fatetur, quia verò differentias aliquas cum liquoribus aliis, eâdem ratione uti Camphora Thymi, adeóque non in omnibus relationibus eôdem modô, ſicut Camphora communis ſeſe exhibuerit, hinc etiam ipſi non Camphora, ſed Oleum coagulatum audit.

Sect. XIII.

Pag. 363 & 365. D. Brown de opinione ſua, quod Camphora Thymi ſit Oleum coagulatum, quodammodo dubitare, vel, ut rectius dicam, medius hærere videtur, ait enim loco poſteriore: " Quod ad " hoc *Sal*, ſeu Oleum coagulatum Thymi, &c. & " loco priore: Quibus non abs re fuerit, teſtimo- " nia quædam de Oleis coagulatis, ſeu *Salibus* ex " Oleis natis, huc pertinentia, ſubjungere." Ex his patet, dum nempe Cryſtallos quæſtionis Sal ſeu Oleum, Oleum coagulatum ſeu Sal ex Oleo natum appel-

appellat, quod adhuc quaſi non ſatis certus ſit nec ſecum conſentiat, ipſas Cryſtallos certè nihil aliud quam Oleum, ſed fortè pari ratione tam Sal quam Oleum eſſe, licet pag. 361. vel non procul à principio Tractatus ejus, nomen Salis ipſi abneget, dum ita loquitur: quod hactenus *improprio* Salis Thymi volatilis *nomine* dictum fuit. Hæ ipſi dubiæ de Sale cogitationes non tantum in duobus illis locis & fortè caſû elapſis verbis Sal ſeu Oleum, ſed & tanto dilucidius exinde colligendæ ſunt, quia circa hanc materiam, pag. 364, adhuc alios tres eruditos Viros, nempe D. D. Slare, Helmontium & Clar. Boerhaavium adducit; Venerabilem ſcilicet D. Slare Camphoram Thymi appellaſſe Sal volatile (cum tamen in Aqua ſolutionem non admittat, quippe qua ſola generali Salium probatione à charactere Salis excluditur) item, in Oleo Cinnamomi quoddam Salis præcipitatum obſervatum fuiſſe, quod tamen nihil aliud quam Camphora eſſe potuit, quia ipſe addit, hoc Oleum ſine ullo additamento aut arte ad Salis formam inducendam deſtillatum fuiſſe. E contrario reliqua huc allegata exempla ex Helmontio & Boerhaavio, ad hanc materiam vel ad probationem Salis volatilis nativi aut Camphoram repræſentantis, planè non quadrant, dum hi duo Viri poſteriores de longè alio ac reali Sale, nempè de Sale volatili artificiali, i. e. de Sale volatili ex Oleo & Sale alcalino-fixo facto loquuntur aut ſcribunt, prout & ipſe D. Brown hoc allegat, idque facilè perpendere debuiſſet, inquit enim: Helmontius de Sale ex eôdem Oleo artefactô ſic locutus eſt: " At quando Oleum Cinnamomi ſuo Sali Alkali miſcetur, &c. & ſic etiam iſte à D. Boerhaave, pag. 364, ex Experimento

Hombergiano allegatus Sal ſeu Sapo (uti D. Boerhaave eum appellat) verum aliquod cum Sale quodam alcalino nudo commixtum Sal volatile fuiſſe oportet, ſi reverâ in aqua ſolubile fuit; quod ſi verò, abſque additione, per ſe in forma ſalis ſeſe appoſuit, certè nihil aliud quam Camphora, adeóque in aqua nullô modô ſolubilis aut cum ea permiſcibilis fuiſſe potuit, unde dictus D. Boerhaave adjicit: Sed Experimentum non facilè imitari poſſumus, i. e. ſi abſque additione Sal volatile in Aqua ſolubile vel Saponem acquirere volumus.

Sect. XIV.

In priore mea Obſervatione, pag. 329, definitionem vel deſcriptionem ſuppeditavi de Mixtione Camphoræ ſive de partibus ejus conſtitutivis, quod primario 1. ex principio inflammabili & igneſcente vel Phlogiſto rarefacto, i. e. ſubtili ſulphurea ſubſtantia conſiſtat, quale Principium alij ſimpliciter Sulphur (in ſenſu lato) alij verò ut Beccher & Stahl etiam Terram Sulphuream, inflammabilem, Terram ſecundam, igneſcibilem & phlogiſtam, unô autem verbô plerumque φλογιςὸν appellare ſolent, ubi his uſus ſum verbis: Conſtat rarefactô phlogiſtô, vel prout Manuſcriptum meum habet: Conſtat ex rarefacto phlogiſto, & hoc conſtituens primô locô poſui, quia quoad quantitatem in mixtionis proportione maximam conſtituit partem. Quamvis equidem optimo jure, loco hujus, dicere potuiſſem: Camphora conſtat (primò) ex Oleo vel particulis oleoſis, quippe quod hîc potiſſimum intendebam, attamen hôc locô, certis de cauſis, expreſſionem illam

illam adhibere nolui, quia deſcriptionem modò in ſenſu phyſico, quoad principia dedi, dum Oleum rurſus è principio inflammabili, Aqua & Terra conſiſtit; proindè hic de nulla æquivoca explicatione cogitavi nec eam pertimui, certiſſimè perſuaſus, quod hæc chymica loquendi formula, ſi aliquid deſcribere volumus, ex quo quid conſtet, vel quas partes conſtitutivas contineat, unicuique præcipuè Chymi o, ſatis nota & perſpecta ſit, ſiquidem etiam ipſimet D. Angli, quando vocem Anglicam illam, *it conſiſts*, latine reddere volunt, idem quantum mihi ſuccurrit verbum *conſtat*, & tum porrò ablativum vel cum Præpoſitione *ex* vel etiam ſine ea adhibent, hæc quoque loquendi formula in omnibus Chymicorum libris ſatis trita eſt & reperibilis; attamen D. Brown, tria iſta verba: conſtat rarefacto Phlogiſto, planè aliô modô explicare & ita intelligere non dicam detorquere placet, ac ſi dixiſſem, quod in igne conſtans ſit vel igni reſiſtat, ait enim: Hæc ſunt Neumanni verba, at minimè noſtrum: Nam ſi igni admoveatur, &c. de qua tamen opinione ego nunquam cogitavi, tantum abeſt ut in hac intentione talia literis conſignaverim, alias etenim partes conſtituentes non denotaſſem numeris, nec hoc ſub N° 1, uti aquoſum & terreum ſed N° 2 & 3 adduxiſſem, ſed ſi opinio mea cum explicatione D. Brown concordaſſet, tunc profectò de proprietatibus & relationibus Camphoræ ſolicitus fuiſſem. Interim ex hac malè intellecta explicatione certior ſis, D. Brown noſtri certè magni & planè eximij Chymici D. Stahlij ſcripta nondum legiſſe, adeóque etiam de hac ipſi tam uſuali expreſſione vel verbo φλογιςὸν verum conceptum non poſſidere.

SECT.

Sect. XV.

Tandem etiam in conſiderationem veniunt obſervatæ à D. Brown differentiæ inter Camphoram Thymi & Camphoram communem, quarum diverſas in medium adducit, quæque procul dubio ipſum maximè commoverunt ut crederet & publicè ſcriberet, quod hæc ex Oleo Thymi acquiſita ſubſtantia cryſtallina non ſit Camphora eam ob rationem, quia non in omnibus relationibus, aliis admixta rebus, cum Camphora vulgari conveniret, ſed planè aliô modô ſeſe gereret.

Jam equidem de veritate harum Obſervationum nullum mihi eſt dubium, ac lubens confiteor, quod, ſi Camphora Thymi ſecundum reliquas relationes in & cum aliis corporibus eoúſque extendenda eſt, hæc à Camphora communi notabiliter differat, adeóque in hoc D. Brown abſque ulla contradictione manus porrigam, verum ea tum temporis, ut illuc uſque extendatur, mea intentio nunquam fuit, quin potius primarias modò & præcipuas imprimiſque in ſenſus incurrentes proprietates, quibus tam communis Camphora quam Camphora Thymi præ aliis mixtis in mundo ſeſe diſtinguunt, in animum induxi, de reliquis omnibus differentiis & qualitatibus particularibus minus ſolicitus, neque (uti jam ſuprà dixi) parvo iſto, quod acquiſiveram, pondere, ejuſmodi ulteriores inveſtigationes peragere potui.

Sect. XVI.

Quæ me proindè ad æquiparationem Camphoræ Thymi cum Camphora officinali commoverunt, ſunt ſequentia.

1. Productum Thymi oritur ex Oleo eſſentiali; ſic quoque ordinaria exoritur Camphora.

2. Eſt corpus ſiccum & ſolidum; tale etiam Camphora communis.

3. Simul tamen friabile; Camphora itidem: quamvis D. Brown hanc friabilitatem, quam cum meis Cryſtallis unicuique monſtrare poſſum, perindè neget.

4. Eſt album; ita & Camphora.

5. Clarum & pellucidum; eâdem ratione quoque Camphora.

6. Conſiſtit ex Cryſtallis diviſis; ſimiliter etiam cruda & non depurata Camphora.

7. Quoad odorem fortiter imitatur ſuum Oleum vel ſuam ſpeciem; ſic etiam Camphora.

8. Reſpuit ſolutionem in aqua, quam Camphora itidem aſpernatur.

9. E contrario penitus & facilè ſolvitur à Spiritu vini rectificato, id quod etiam de vulgari Camphora notiſſimum eſt.

10. Diſſolvitur etiam à Spiritu Nitri; eâdem ratione quoque Camphora.

Exiſtimarem profectò, quod hæ convenientiæ, conformitates & circumſtantiæ comparabiles ſatis ſufficientes eſſent, talem hoc modo ſeſe habentem ſubſtantiam, abſque prolixiore conſideratione pro primo Camphoram appellandi.

Sect. XVII.

Differentiæ cujuſdam generalis, pag. 329. § 4. mentio à me facta eſt, quod nempe ex ſic dicta arbore Camphorifera ibidem in magna copia & ita longe plus Camphoræ, quam Olei, haberi queat, cum è contrario Vegetabilia Europæorum plurimum Olei, parum verò Camphoræ largiantur. Cui jam hoc adhuc addo, quia Camphoræ Europææ ex multo Oleo & pauciori portione Camphoræ conſiſtunt, adeoque hæ Camphoræ in ſua mixtione multò oleoſiores, vel reſpectu communis Indiæ Orientalis Camphoræ, cum partibus Oleoſis magis, ut ita dicam, ſuperſaturatæ ac cum aliis partibus propterea non ita firmiter unitæ ſunt, Camphora officinalis vero, in proportione ingredientium, paucioribus Oleoſis, è contrario pluribus terreſtribus partibus inſtructa & in hac poſteriore in genere omnia conſtitutiva firmius meliuſque immixta reperiuntur, quod exindè etiam in commixtione cum aliis liquoribus, porrò ratione ſublimationis, ſolutionis cum Oleo Vitrioli, ratione exhalationis, præcipitationis aliarumque relationum, tantò facilius notabilis differentia inter has duas ſpecies ſeſe exſerere poſſit; hinc tamen illa haud ſequitur concluſio: quia Camphora Thymi in omnibus & ſingulis relationibus cum Camphora vulgari non convenit, ergo hoc Productum Thymi non eſt Camphora. Si enim in Chymia in omnibus ferè rebus unicè ac ſolum ad relationes differentes particulares reſpicere, convenientes vero generales proprietates obſervatuque maximè digniores plane non attendere, ſed tantum ſuperficiariè eas intueri & è contrario à prioribus con-

concluſiones noſtras formare vellemus, tunc res profectò pauciſſimæ comparari poſſent, plurimæ autem ſæpè in nimis prolixum maléque cohærens judicium dilaberentur.

Sect. XVIII.

De duabus tantum materiis, nempè de Metallis & Salibus exemplum aliquod proponam:

A. 1. Omnibus notiſſimum eſt, aurum, argentum, cuprum, ferrum, ſtannum & plumbum pro perfectis Metallis & Mercurium vivum pro Semimetallo ſive Metallo imperfecto haberi, eam ob rationem, quia hæ ſubſtantiæ præcipuas proprietates ejuſmodi rei poſſident, quæ Metallum vocatur, adeoque neque ad lapides neque terras, ſulphura, bitumina, ſalia, vitra, neque ad res ullas alias, brevi, ad nihil melius in univerſo terrarum orbe, quam ad Metalla comparari poſſunt, ſicuti & ego Camphoram Thymi, juxta ſupra deſcriptas ejuſdem proprietates, nulli alij rei convenientius aut melius, quam Camphoræ accenſere & ſic denominare potui; prout verò D. Brown ratiocinatur, antedicta Metalla certè non ex omni numero forent nec vocari poſſent Metalla, quia in omnibus relationibus & commixtionibus cum aliis rebus, in ſolutionibus, præcipitationibus, ſublimationibus, &c. inter ſe non conveniunt. Et quidem differere poſſet:

a. Aurum exiſtimo pro vero Metallo, eam ob rationem, quia in Aqua regis ſolvitur; cum verò Argentum in Aqua regia non diſſolvi poteſt, ergo hoc non eſt Metallum.

b. Vicè verſâ Argentum atque alia quædam Metalla in Aqua forti ſolubilia pro veris Metallis habere, Aurum vero ex Metallorum numero excludere poſſet, quia hoc nullam in Aqua forte ſolutionem admittit. Spiritus Vitrioli diſſolvit ferrum & cuprum, non verò Aurum nec Argentum, proindè duo hæc nobiliora Metalla non eſſent Metalla.

Hoc idem illud eſt Argumentum, quale D. Brown, ratione ſolubilitatis, pag. 363, ſub N° 3, circa Camphoram Thymi adducit, dicens: Oleum Vitrioli ſolvit quidem Camphoram communem, non verò Camphoram Thymi, ergo Præparatum hoc Thymi nulla eſt Camphora.

2. Secundò objectionem ipſe formare poſſet, ratione coloris & conſiſtentiæ differentis in ſolutionibus Spiritus Nitri enim hoc vel illud Metallum ſolvit colore albo, ſolutio pellucida apparet & clara; quia verò ſolutio Veneris eſt cæruleo-viridis, ſolutio Martis valde obſcure-rubro-fuſca & ſolutio Stanni non penitus & ubique pellucida hæque poſteriores longe aliter ac ſolutio Lunæ puræ, Mercurij, &c. ſeſe habent; ergo has planè aliter viſui ſeſe ſiſtentes craſſiores & ex parte haud pellucidas ſolutiones non eſſe ſolutiones Metallorum, vel ſolutas materias non eſſe Metalla.

Ita enim D. Brown, Pag. 362, ſub N° 2. de ſolutione Camphoræ Thymi in Spiritu Nitri iterum concludit: quia nempè ſolutio Camphoræ Thymi eundem calorem, conſiſtentiam ſeu pellucidiratem non poſſidet, uti Solutio Camphoræ communis; ergo Camphora Thymi non eſt Camphora, cum tamen hîc perpendere debuiſſet, quod primo ipſe Spiritus Nitri, ratione coloris & pelluciditatis, in quibuſdam Metallis

tallis alios colores producat ac multiplices variationes inferat; ſecundò, cum hîc Camphora Thymi ex Oleo rubro-fuſco orta, adhæc cum partibus oleoſis quaſi ſuper-ſaturata ſit, quod indè quoque facillimo negotio longè obſcurior & craſſior ſolutio produci queat.

Sect. XIX.

3. Ratione præcipitationis vel reliquarum relationum harum ſolutionum etiam per ſe, D. Brown non pauca objicere poſſet, dum circa eas multò plures differentiæ occurrunt, quam inter duas haſce Camphoras:

a. Ratione ulterioris relationis ſolutionum Metallorum obtendere quis poſſet: Solutio Argenti, Plumbi & Mercurij in Spiritu Nitri veras præbet Cryſtallos, è contrario ſolutio Martis & Stanni cum Spiritu Nitri nullas ſiſtit; ergo hæc poſteriora non ſunt Metalla, ſed tantum priora. Solutio Mercurij in acido concentrato ſalis communis per ſublimationem largitur Sal Cryſtallinum, reliqua Metalla omnia non ita; ergo Mercurius ſolus eſt Metallum. Quædam Metalla ſub ſolutionibus fortem vaporem emittunt, alia non item. Quædam ſub Solutione per ſe aliquid ad fundum dejiciunt, alia non; ergo quædam tantum ſunt Metalla excluſis reliquis.

b. Ratione præcipitationis non parvus differentiarum numerus, quæ ſub Metallicis ſolutionibus ſeſe exferunt, ſi prolixior eſſe vellem, adduci poſſet, dum ſcilicet Metallum ſolutum in præcipitatione mox ut calcem puram Metallicam præcipitamus, mox autem planè alias omnique Metallico ſplendore orba-

tas calces, ex parte etiam difficulter reducibilia præcipitata nanciſcimur. Quis verò propterea de his poſterioribus affirmare auderet, materias iſtas, è quibus iſtiuſmodi calces provenerunt, non eſſe Metalla, quia in præcipitatione non eôdem cum illis modô ſeſe haberent, vel quia non ut perfectè nitida ac ſplendeſcentia Metalla ſeſe rurſus præcipitarent? Nihilo tamen minus D. Brown circa Camphoram ejuſque diverſas præcipitationes & relationes, quod nempè ſolutio Camphoræ Thymi eôdem modô ſe non præcipitet ac ſolutio Camphoræ vulgaris, eandem denuò format concluſionem: Ergo Camphora Thymi non eſt Species Camphoræ, vel propterea in id genus Mixtorum non pertinet. Reperiuntur ejuſmodi differentiæ etiam in variis tractationibus, ſolutionibus & præcipitationibus corporum reſinoſorum cum Spiritu Vini, quinimo ex quibuſdam ſolutionibus reſinoſis, curioſitatis gratia, duplicis generis præcipitationes, ſi cuidam fucum facere velles, monſtrari poſſunt, ita ut reſina vel ſtatim ſe præcipitet & ad fundum ſeparetur, vel etiam ſolutio minus rectè ſe præcipitet, ſed turbida tantum ac lacteſcens fiat, idque eâdem ſolutione, eôdem ſolvente, eôdemque præcipitante: Ex qua verò lacteſcente præcipitatione concluſio formari nondum poteſt, quod ſubſtantia ſoluta non fuerit vera reſina.

Sect. XX.

B. Sub copulationibus, ſolutionibus, Præcipitationibus, ſublimationibus & Cryſtalliſationibus Salium innumeræ ferè differentiæ & per quam diverſæ relationes occurrunt, quæ maximoperè ſæpius, uti

dies

dies & nox ſeſe diſtinguunt vel ſibi invicem plane contrariantur. Quantopere enim ſola Salia acida à ſe invicem differunt? & ſic etiam, quando ea cum Sale alcalino vel fixo vel volatili conjuncta & in ſtatum neutrum redacta ſunt? Pergrandem illam differentiam Salia inter acida & alcalica vel ipſimet norunt tirones; quis verò idcirco, novô plane modô, & N. B. propter has mox hîc mox illic occurrentes differentias, vel quia in omnibus partibus ac relationibus inter ſe non conveniunt, talem concluſionem formare auderet: Ergo hoc vel illud non eſt Sal? Ratio, quia vel planè nullam Cryſtalliſationem admittit, vel non eâdem figurâ, uti illud Sal, cryſtalliſatur, vel quia ſublimationem reſpuit, aut in commixtione cum hac vel illa materia non eôdem modô, uti illud Sal, ſeſe gerit, vel quia aliter ſeſe præcipitat, non plenariè reducitur, aut ſiccam conſiſtentiam recipere recuſat, & quæ fortè centenæ pluresque variationes circa phyſico-chemica experimenta, quibus Salia intermixta ſunt, reverâ occurrentes adduci poſſent.

Sed ejuſmodi ratiocinandi modus hactenus uſu nondum eſt receptus.

Sect. XXI.

Jam verò Camphora Thymi, 9 vel 10 cum communi Camphora perfectè convenientes, adeóque præcipuas Camphoræ proprietates poſſidet, ſicut ſuprà demonſtravi quas nec ipſe D. Collega meus negare poterit nec audebit, & ratione cujus conditionis nulla certè mihi in Orbe cognita eſt materia,

qua cum hoc album, ſolidum, pellucidum, fragrans, inflammabile, pulchrè cryſtallinum corpus rectius comparare poſſem, quam unicè ac ſolùm cum Camphora. Sic etiam Plumbum, Ferrum, Cuprum & Stannum ad nihil præſtantius quam ad Metallorum Ordinem; Vitriolum, Sal commune, Alumen & Nitrum ad nihil aliud quam ad Salium ordinem recipi poſſunt, quia notabiliores proprietates eorum requiſitas poſſident, ac cum nulla alia re magis, quam cum iis conveniunt. Nihilo tamen minus (juxta D. Brown circa Camphoram Thymi argumentandi methodum) hic itidem objici poſſet: Plumbum, Ferrum, Cuprum & Stannum non eſſe Metalla, ex ea ratione, quia in igne non adeò ſint conſtantia uti Aurum & Argentum, ſed comburantur in calcem, exhalent ex parte in auras & ſub ſolutione, præcipitatione, ſublimatione, &c. aliô modô ſeſe habeant; Vitriolum, Sal commune, Alumen & Nitrum non eſſe Salia, quia à puro Sale acido vel alcalino, vel Sale ammoniacali ſublimabili, & vicê verſâ valdè differant, ut differentias plures notabiles, quæ in copia adduci poſſent, taceam. Quis verò hoc in gratiam alterius crederet? Siquidem dubito, quin ipſe D. Brown hoc credat, ſed potius ſatis cognitum habeat. Si autem novit ac firmiter credit, quatuor iſtas antedictas Regni mineralis ſubſtantias eſſe Metalla, nullique rei melius annumerari poſſe, adeóque hoc nomen de jure mereri, licet ab auro & argento multum diſcrepent; Portò, quod reliquæ, exempli tantum gratia, adductæ ſubſtantiæ Salinæ ſint vera Salia, quamvis nec pura Salia acida nec alcalica exiſtant, & tam inter ſe, quam etiam à multis aliis Salibus valde differant; quare igitur in Regno

Vege-

Vegetabili, vel hîc circa noſtrum Concretum Oleoſo-cryſtallinum, propter proprietates & differentias quaſdam particulares, novùm concludendi ac deſcribendi modum injicit, & Camphoram Thymi, tantummodò propter aliquas cum vulgari Camphora differentias, vel quia illa in omnibus ulterioribus relationibus cum hac non conveniat, pro Camphora agnoſcere, declarare & ſic nominare recuſat? Cum tamen hoc Thymi concretum, quoad proprietates principales, tam benè cum Orientali Camphora ſymbolizet, ac Metalla prædicta cum aliis Metallis, vel Salia iſta cum aliis Salibus. Quod ſi Plumbum, Stannum, Cuprum & Ferrum Metallum appellare licitum eſt, quamvis ab Auro & Argento, imo inter ſe, multum differant; quod ſi Alumen & Vitriolum Sal vocitare ſolemus, licet à Sale communi aliiſque Salibus multum diſcrepent; quare non licitum mihi fuerit, cryſtallinum hoc corpus Camphoræ nomine inſignire, etiamſi quaſdam à vulgari Camphora obtineat differentias? Videtur mihi, Viros neutri parti addictos meam potius Opinionem approbaturos, eamque magis appropriatam & adæquatam judicaturos eſſe, quam Titulum Olei, vel ut ſolidum, pellucidè-cryſtallinum, ſiccum corpus appelletur Oleum.

Sect. XXII.

Concluſionis loco adhuc ſemel ergo repeto:

1. Quamdiu aliquid Olei nomen meretur, tamdiu vel planè liquidum, vel ſaltem craſſiuſculè liquidum, unctuoſum & pingue tactu illud eſſe debet.

2. Quam-

2. Quamdiu aliquid pro Oleo coagulato vel condenſato habere poſſum, tamdiu neceſſe eſt ut craſſiuſculum, parum vel planè non liquidum, vel ad ſummum unguenti & ſebi conſiſtentiâ, idque ſolummodo in frigido, adeóque obrigeſcens ſit, attactu tamen nihilominus digitos pinguefaciat &, leviſſimo quoque adhibito calore, formam iſtam coagulatam iterum amittat.

3. Simulac autem verè ſiccas, ſolidas & pellucidas (in forma circiter pulchri & clari Tartari vitriolati cryſtalliſati apparentes) cryſtallos nanciſcor, etiamſi ex ipſo Oleo ortæ ſint, imo licet etiam in ſua mixtione, pro maximo pondere, ex veris oleoſis partibus conſiſtant, attamen ſtatim ceſſat titulus Olei, & cognomen hoc coagulati ſeu condenſati Titulum Olei amplius tueri non valet; nec neceſſe eſt cognomina talia adhibere, dum, ſi ejuſmodi ex Oleo eſſentiali productum cryſtallinum, ſiccum corpus exiſtit, quale ſubſtantiam quæſtionis videmus, unicum verbum Camphora tum ſatis ſufficiat, adeóque optimè exprimat, quale ſit mixtum, & quod nihil aliud, quam Species Camphoræ, ſicque corpus noſtrum cryſtalliforme Camphora Thymi maneat.

P. S. Sphalmata & Errata ſcriptoria vel typographica, dum in Obſervatione mea pag. 324. lin. 2 & 3, vel Amanuenſis meus literam *a* ſupernè non ſatis debitè contraxit, quam poſteà Typotheta pro *u* aſſumſit, vel Typotheta *u*, loco *a*, arripuit, adeóque loco veram, denſam, verum, denſum impreſſit, D. Brown pro eo, quo pollet, judicio, facilè agnoſcere potuiſſet, neque eoſdem errores eiſdem typis denuò excudendos curare opus habuiſſet. Ego certè

vitio

vitio mihi verterem, ſi ex Obſervatione ipſius pag. 300. lin. 4. ab ima pagina verbum *Diſſerentiis*, pag. 364. lin. 2. *Philoſoſophicis*, item, pag. 365. lin. 16. verbum *nalis* & ejuſmodi facilè evenientia Sphalmata ſcriptoria vel typographica, quæ aliàs Viri graves omnium Nationum facili negotio perſpicere, indulgere & excuſare ſolent, ei exprobrare vel eôdem modô typis viciſſim mandare vellem.

Berolini, d. v. Martij, 1731.

CASPAR NEUMANN.
Med. D. & Chemiæ Prof.

In Epiſtola ad illuſtriſſimum R. S. Præſidem *data* Berolini *a. d.* III. *Id.* April. CIↃ IↃ CC XXXIII. *breviter ſcribit Doctiſſimus Author noſter hiſce verbis.*

" DE Diſſertatione mea ſecunda de *Camphoræ* " *Thymi* id quidem ingenue profiteor, nihil " me aliud denuo declarare voluiſſe, niſi hoc ipſum, " quod materia, quæ in duris cryſtallis atque in aqua " non ſolubilis comparet in Oleo Thymi pariter at- " que aliis quibuſdam Oleis eſſentialibus, minime Sal " aliquod volatile, multo minus Oleum coagulatum, " ſed ſingulare quoddam, ex iſtiuſmodi Oleis ſegre- " gatum ſeparatumque concretum, & ut paucis di- " cam, ejuſmodi mixtum ſit, quod me quidem ju- " dice non alio magis convenienti quam *Camphoræ* " nomine inſignire poſſis.